



## **Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales**

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

**Chiericato, Giovanni Maria**

**Augustæ Vindelicorum, 1730**

Decisio CXLI. Argumentum. Tractat præsens Decisio. Quid sit Gula? Quot, & quibus modis contingat peccare per Gulam? Quot effectus, seu Filiæ ejus? Quot mala producat? Quibus remediis obviandum iisdem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)



Et Regius Pfalter Psal. 75. 5. *Turbatus sum, & non sum loquutus.* Et Apostolus Jac. 1. 10. *Sit autem omnis homo tardus ad iram.* Tertium: ubi insurrexerit ira, & indignatio, eam statim reprimere, & deponere, juxta monitum Apostoli Pauli ad Ephes. 4. 26. *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Quartum: servare animum dispositum, & preparatum ad recipienda contraria; ne inopinatio, & ex improviso dicantur evenire, prout patientissimus Job faciebat. Job. 3. 25. *Timor, quem timebam, evenit mihi, & quod verebar, accidit.* Quintum: scire & pro certo habere, quod in hoc mundo plurima sint habenda mala, & ideo in die bonorum ne immemor sis malorum. Eccl. 11. 27. Sextum: recordari proprios defectus, & ita compati, & sufferre alios, prout delectat nos ipsos tolerari, quod docebat Apostolus ad Coloss. 3. 12. *Induite vos, sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, & donantes.* Septimum: discernere, & velle semper, ut aiebat idem Apostolus, *Non vinci a malo, sed vincere in bono malum, ad Rom. 12. 21.* Et benefacere etiam offensoribus, pacem servando etiam cum rixosis, & malevolis, ad exemplum David, profitentis, Psal. 119. 7. *Cum his, qui oderunt pacem, eram Pacificus.* Octavum: obsequi, & obedire illi Dominico praecepto: Matth. 5. 44. *Ego autem dico vobis; diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.*

9 Nonum: imitari Heroem Virum Thomam Morum, qui ad reprimendam iram sic ratiocinabatur, ( ut habetur in addit. ad Summ. Toleti lib. 8. cap. 58. ) *Bonus est, vel malus, cui irasci vis? Si bonus: immerito vis ei irasci, quem amat Deus. Si malus? Veltalis erit in aeternitate, vel bonus fiet? Si semper malus erit: satis replebitur miseris in aeternorum malorum abyssis: unde potius misereri, quam irasci debes. Si in aeternitate bonus futurus est, iniquum est ei irasci, qui Deo gratus, & tibi aeterna amicitia nodo amicus futurus est.* Decimum, & Ultimum: scire, & credere; quod omnia poenalia, afflictiones, contradictiones, calumniae, infirmitates, & cujuscunque generis flagella, & mala ( culpis exceptis ) permittantur a Deo in bonum animarum nostrarum; testante Scriptura Amos 3. 6. *Si erit malum in Civitate, quod Dominus non fecerit? Cur igitur irascendum, dolendum, maledicendum de his, quae ab Altissimo, Sanctissima sua Providentia permittuntur? Imitandus Job. 1. 21. Dominus dedit, Dominus abstulit. Imitandus David Psal. 38. 10. Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti. Imitandus Ezechias Isa. 38. 15. Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit? Imitandus Redemptor Noster, ex cujus ore Divino illud prodiiit: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Joan. 18. 81.*

10 Plurima alia, & quidem eruditissima fuerunt allegata pro remediis irae a studiosis nostris, quae brevitatis causa omittuntur: & poterunt reperiri in Homil. S. Basilii in S. Greg. lib. 5. Mor. cap. 31. apud D. Chrysost. Hom. 29. 30. 31. ad populum Antioch. in Marchantio Tuba Sacerdot. tract. 6. lect. 1. in Fornario post Tolet. lib. 1. tract. 3. cap. 14. in Reginaldo lib. 7. a num. 70. & seqq. & lib. 21. a num. 121. in Christiano Instructo Pauli Segner. part. 1. Rag. 21. per totum; ultra tractatus PP. Granatae, & Rodriguezii, & Philothae S. Francisci Salehi par. 3. cap. 8. de Ira, Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

## DECISIO CXLI.

## ARGUMENTUM.

Tractat praefens Decisio. Quid sit Gula? Quot, & quibus modis contingat peccare per Gulam? Quot effectus, seu Filiae ejus? Quot mala producat? Quibus remediis obviandum iisdem?

## SUMMARIUM.

1. Gula quid sit?
2. Quotuplex?
3. Gula peccatum committitur quinque modis.
4. Gula in peccato an dentur species diversae?
5. Comedere ante meridiem in die Jejunii an sit peccatum?
6. Comedens pluries in quacunque die an peccet?
7. Comedere ante Missam diebus festis an sit peccatum?
8. Comedens lautos cibos quando peccet?
9. Comedens nimis an peccatum committat?
10. Epulones edentes, & evomentes rei sunt mortalis culpa.
11. Comedens cum voracitate an peccet?
12. Studiis nimis in cibis condendis quando sit peccatum?
13. Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non esse peccatum, Propositio damnata.
14. Epicurei ultimum finem ponebant in delectatione gulae.
15. Circumstantiae exprimendae in confessione circa peccatum gulae.
16. Effectus perniciosi gulae quinque.
17. Gula producit quatuor damna.
18. Gula tribus remediis curanda.
19. Vincentii Caraffa Generalis Soc. Jesu dictum circa gulam.
20. Comedens cum Temperantia semper comedit cum gustu.

**Q**uid sit Gula? Omnes dixerunt: esse inordinatum appetitum cibi, vel potus, quatenus delectationem adfert. Ita ex S. Thom. 2. 2. quast. 148. art. 1. Card. Tolet. lib. 8. cap. 59. & Georg. Gobat. in suo Quinario Tract. 5. de Vitiis Gulae cap. 23. num. 4. & 5. Et vocatur Comestitio, seu Crapula, dum exercetur gula in edendo, Ebrietas vero, cum in potando.

**Q**uot, & quibus modis contingat peccare per Gulam? Dictum fuit, peccare contingere per Gulam modis quinque, hoc carmine comprehensis. Praeproperè: Laute: Nimis: Ardentè: Studiose. Et delumuntur ex S. Gregorio lib. 3. Moral. cap. 27. per S. Thom. dist. 2. 2. quast. 148. art. 4. ut notat Gobat. d. tract. 5. cap. 23. a num. 41. & seqq. ubi num. 52. 53. 54. & 55. advertit, alterari Doctores, an supradicti modi constituent species diversas in confessione explicandas, veltantummodo circumstantias aggravantes peccatum Gulae? & cum Azor. part. 1. lib. 4. cap. 18. tenet, esse meras circumstantias, adeo ut sufficiat, si Pœnitens dicat, peccavi Gulae peccato; absque eo quod explicet, vel edendo laute, vel nimis, vel alio ex dictis modis.

Praeproperè peccare contingit edendo, quando quis tempore jejunii ante horam consuetam comedit, vel citius, quam ex voto, vel pœnitentia deberet. Joan. Sanchius dist. 2. num. 14. Ideo aliis diebus edere summo mane, vel pluries in die, est solum veniale; quamvis ob offensam sanitatis, qui



sæpe comedit in die cum offensione sanitatis, graviter peccat secundum S. Antonin. *part. 2. tit. 6. cap. 1. §. 9.* Gobat. *d. cap. 23. num. 65. & 66.* ubihi versus.

Qui semel est, Deus est; Homo, qui bis: Bestia, qui ter:

Qui quater, est Daemon: Qui quinquies, est Sui mater.

Porro quamvis pueri, & rustici non peccent, edentes fummo mane diebus festis ante auditam Missam; sunt tamen hortandi, ut prius Missam audiant; nam fiunt indevoti, & inhabiles ad mentem in Deum elevandam. S. Antonin. *cit. §. 9.* Gobat ubi supra *num. 62. & seqq.* ubi legitimas esse causas pluries comedendi in die docet: Magnam laborem, ætatem puerilem, hospitalitatem, urbanitatem, & singularitatis fugam.

*Laure.* Hoc verbo illi denotantur per Gulam peccare, qui magnos, & excessivos valde sumptus faciunt ad lenocinandum gulæ, pro habendis cibis pretiosis, & delicatis, non convenientibus conditioni sui status, ut si vir pauper, religiosus, vel civis mediocri fortunæ propter delectationem edere velit frequenter phasianos, lampredas, sturiones, truttas, & huiusmodi, ac bibere Vina Malvatica, Vernatica, Græca, & ex ultra mare venientia, vel ex collibus Vicentinis. S. Thom. *dict. quaest. 148. art. 4.* S. Anton. *cit. cap. 1. §. 6.* Gobat. *d. cap. 23. à num. 75. & seqq.* ubi excusat ab hoc vitio, si prædicta ex aliquo accidenti, villiori pretio haberentur, vel à divitibus dono darentur, aut in Mensa Dynastæ, vel semel, aut bis, occasione nuptiarum, vel hospitum emerentur ad manducandum.

*Nimis.* Id est, Qui ex mera intemperantia ita multum vorat, & haurit, ut revomere cogatur. Quamvis enim una regula omnibus servire non possit circa quantitatem cibi sumendi; attamen, qui ultra vires sui stomachi comedit, cum sanitatis offensione, & eò magis, qui advertenter se cibo, potuque ingurgitat, & evomit, ut alteri cibo locum faciat, graviter peccat. Fernandez in *Exam. part. 4. cap. 2. §. 6.* Escobat *tract. 2. Exam. 2. num. 2.* Gobat *d. cap. 23. num. 92.* Quamvis ibi non desint DD. à mortali culpa excusantes hos epulones; sed perperam ob Propositionem damnatam infra referendam.

*Ardeenter.* Videlicet, quando quis voraciter comedit cibos, non mansos deglutendo, ut faciunt leones, & canes, cum immodestia notabili. S. Antonin. *d. tit. 6. cap. 1. §. 8.* Lessius, Sancius, & alii apud Gobat *d. tract. 5. cap. 23. à num. 94. & seqq.* in quibus notat, hoc modo vix mortaliter peccari; quamvis enim non parum noceat valetudini tuburcinari, seu bolos non mansos more ciconiarum in stomachum deijcere, ut plurimum quisquam ad hoc nocumentum non advertit, & facile non est omnibus, non festinanter, seu ardenter edere, & potare.

*Studiosè.* Tandem gulæ peccatum est, scilicet ponendo multum tempus, & curam ad præparandos cibos, ut magis delectent: puta, ut sint variati, assati, lixi, cum aromatibus, & cum saporibus. S. Antoninus *cit. cap. 1. §. 7.* S. Gregor. & S. Thomas apud Gobat *d. cap. 23. num. 100.* quamvis Sancius *d. disput. 2. num. 14.* & Pasqualig. de jejuniis, *decis. 13.* negent, esse peccatum, quærere voluptatem, & delectationem in cibis; quorum opinionem non esse amplectendam constat, tum quia contraria est doctrinæ SS. Patrum, quos al-

legat Gobatus ubi proxime *num. 108.* tum quia damnata est in Propositione octava à Sanctissimo Innocentio XI. Sanctæ memoriæ die 4. Martii 1679. *La VIII.* quæ sic asserbat: *Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licet potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Condimentum tamen moderatum in cibis non est reprehensibile, attendita conditione status personarum. Gobat *ibid. num. 105.* qui tandem *num. 113.* replicat, hos modos non esse explicandos ex necessitate in confessione, nisi quando in eorum aliquo quis posuit ultimum finem, judicando scilicet, delectationem gulæ esse summum, & ultimum bonum, ut faciebant Epicurei, vel ita erga gulam est affectus, ut paratus sit omnia jura divina, & humana violare, vel si non omne peccatum committere, saltem aliquod mortiferum est patraturus, ut gulæ suæ satisfaciat. Reginald. in *Praxi lib. 22. num. 53.* Lessius *lib. 4. de Just. cap. 3. num. 6.* & Baldellus *lib. 3. disp. 28. num. 7.*

Quot sint effectus, seu filia Gulæ? Dixere pariter esse quinque 1. Heberudinem sensus, id est offuscationem intellectus, ortam ex ciborum fumositate, impediens operationes animi, & rationis. 2. Ineptam lætitiā, quæ facit inaniter hilare, & excitat ad saltus, cantus, tripudia, ludos, histrionatus actus, & instrumentorum diversorum sonitus. 3. Multiloquium, ex quo detractiones, & secretorum revelationes. 4. Scurrilitatem, tum verbis, tum factis inhonestis ad excitandum risum. 5. Immunditiam, scilicet, inordinatam emissionem quarumcunque superfluitatum, vel per vomitum, vel per pollutionem. Ita ex S. Thoma, & S. Antonino, Gobatus *d. tract. 5. cap. 23. à num. 195. & seqq.* Card. Toletus *d. lib. 6. cap. 62.*

Quot mala producat Gula? Dixere, quatuor præcipua. 1. Egestatem in familiis. Prov. 21. 10. 17. Qui diligit epulas, in egestate erit: & qui amat vinum, & pinguiā, non dirabitur. 2. Infirmities in corporibus. Eccles. 37. 33. In multis escis erit infirmitas. 3. Vitæ brevitatem. Ibid. 34. Propter crapulam multi obierunt. 4. Periculum damnationis æternæ. Phil. 3. 19. Quorum finis interitus: Quorum Deus venter est. Hinc Luc. 16. 23. Mortuus est autem dives (Epulo) & sepultus est in inferno.

Quibus remediis obviandum his malis? Præter adducta ad Casus prudentiales supra *Decis. 14. num. 12.* nec non *Decis. 112.* & Autores ibi citatos, ulterius dixere, & indixere tria remedia. I. Comminationem illam Salvatoris nostri Luc. 21. 34. Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, & ebrietate. II. Vilitatem corporis, quod deceat exquisitis cibis nutrire, tanquam jumentum vile. Eccl. 33. 25. Cibaria, & Virga, & Onus Asino. Hinc proverbium Religiosi Viri, esse tractandum corpus nostrum, eodem modo, quo Princeps tractaret equum suum, si illius sordes pluries in diemanu propria strigili detergere cogetur; ageret enim hoc cito, & male. Bartolin Vita P. Vinc. Caraffa *lib. 2. pag. 321.* III. Jucunditatem ex temperantia provenientem; qui enim moderatè comedit, & cibos ordinatios, ac absque condimentis, (ut Eminentiissimi nostri Præfatis mos constans est tantummodo admittere) semper jucunde comedit; siquidem Prov. 27. 7. Anima saturata calcabit favum: & Anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.